



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Pe. Colimbriensi Episcopo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

Domino curabimus dilatare. Tu verò, sicut caram habes gratiam nostram & Regis, memoratum D. & alios quos cum ipso cepisti, tam cautè, tam diligenter, & ardè facias custodiri, quòd nec fugere possint, nec circumvenire valeant tuæ industriam probitatis. Nec te Marcoualdi aut suorum minæ deterreant, nec preces demulceant, nec munera frangant, nec promissiones emolliant, aliquorum iuramentis aut obligationibus quibuscumque omnino non credens, donec de terris, personis, & rebus ita providè cum nostro consilio disponatur, ut per hoc & Regis honos & regni tranquillitas & tuus profectus per nos magnificè procuretur; pro certo confidens quòd nos ultra fortè quàm credas tuum procurabimus incrementum. Quoniam si, quod absit, semel tuas manus evade-ret, in te ac terram tuam perpetuò defæviret. Volumus autem ut super hoc nobis consilium tuum plenius & voluntatem exponas; ut cognita intentione quam habes, possimus expressius respondere.

*PE. COLIMBRIENSI*

*Episcopo.*

**F**ratrum & cõepiscoporum nostrorum justitiæ consulere volumus, & eorum gravaminibus præcavere; ne si nostro fuerint subsidio destituti, gravem sentiant læsionem. Sanè significasti nobis in nostra præsentia constitutus, quòd quidam in tua dioecesi commorantes, eò quòd in Canonicorum sanctæ Crucis vel aliorum privilegiatorum sunt fraternitate recepti, jura tibi episcopalia non persolvunt. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis precibus annuentes, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut quandiu confratres hujusmodi moram fecerint in domibus suis in habitu seculari, & ab Ecclesiis tuis ecclesiastica receperint sacramenta, sicut priùs, tibi jura episcopaliaolvere teneantur. Nulli ergo &c. Datum Laterani XIII. Kal. Martij.

**STEPHANI BALVZII  
TVTELENSIS**

ADMONITIO AD LECTOREM.

**S**equentes epistolæ non extant in superioribus editionibus. Sed ex diversis locis conquisitas, cum pertineant ad primum annum pontificatus Innocentij, heic vice appendicis edendas esse censimus. Et fidelitates quidem Petri Præfati & Comitis Idebrandini editæ fuerant à Martino Cholino in fine libri secundi, loco non suo. Epistolam verò ad Oddonem Episcopum & Capitulum Pinenle suppeditavit tomus septimus Italiae sacre Ferdinandi Vghelli, reliquas Chronicon Gervasij monachi Cantuariensis.

*IVRAMENTVM FIDELITATIS*

*Innocentio III. præstitum à Petro  
Præfecto Urbis.*

**I**N nomine Christi. Ego Petrus Urbis Præfectus juro quòd terram quam mihi Dominus Papa procurandam commisit, fideliter procurabo ad honorem & profectum Ecclesiæ, non vendam, nec locabo, nec infeudabo, nec impignorabo, nec aliquo modo alienabo quicquam ex ea. Injustitias & rationes Ecclesiæ Romanæ studiosè requiram & recipiam, & jura ipsius recuperare studebo, & recuperata & habita conservabo & defendam, quandiu mihi procuracionem dimiserit. Stratam custodiam, & justitiam exercebo. Ad custodiam munitionum diligens studium & operam efficacem impendam ut ad honorem & mandatum Ecclesiæ Romanæ bene custodiantur. Castellanos & servientes nec mutabo nec alios introducam, nec mutari faciam nec alios introduci, præter mandatum Domini Papæ. Fideles & vasallos de patrimonio Ecclesiæ sine speciali mandato Romani Pontificis ad fidelitatem & dominium meum non recipiam, & ex ea non faciam mihi affidatos teneri, nisi procuracione durante. In terra meæ procuracioni commissa munitiones ædificari non faciam sine speciali mandato Domini Papæ. Quandocunque fuero requisitus per Dominum Papam aut nuntium vel litteras ejus, reddam rationem de procuracione fideliter. Et quandocunque jussus à Domino Papa vel ab Ecclesia Romana, integrè & liberè resignabo. Hæc omnia juro me fideliter servaturum sine fraude pro posse meo. Salvo in omnibus mandato Domini Papæ. Sic

T E

*Epist. 577.  
Vide supra epist.  
23. Gesta In-  
nocentij III.*

*Epist. 576.  
Ve omnes jura  
episcopalia suo  
Episcopo persolvant.*

✠